

*Berwici* etymologiam. Ego quid velit, conijcere non possum nisi vicum, quasi appendicem loco cuiusdam celebriori annexam denotet. Donationibus enim Edwardi Confessoris, *Totbill Berwicus* Westmonasterii, & *Vandlesworth Berwicus* Patriceiæ dicuntur, & id genus sexcenta. At quorsum hæc? operam sane ludimus, si (ut aliqui volunt) *Beornica*-pic Saxonice olim dixerint, id est, *Berniciorum vicus*. *Bernicia* autem nomine has regiones insignitas fuisse notius est quam dici possit, & jam antea diximus. Undecunque vero nomen habet, situ longius in mare porrigitur, ita ut mari & *Tueda* fere circumvalletur. Et inter duo potentissima regna posita, quod de *Palmyra* Syria Plinius dixit, prima semper in discordia utrique genti fuit cura, adeo ut ab eo tempore quo Edwardus Primus Scotis primum extorsit, sæpius à Scotis occupatam Anglus recuperaverit. Sed ejus historiolum summam hic si placet contexamus. De *Berwico* hoc nihil antiquius legi, quam quod *Guilielmus* Scotorum Rex ab Anglis bello captus *Henrico* nostro Secundo, ut se carcere liberaret, ea lege tradiderit, ut in perpetuum Anglicæ ditionis esset, nisi ad certum diem redemptionis pretium persolveret, protinusque, ut est in *Polychronico* *Dunelmensi*, *Henricus* castro munivit. Verum numerata pecunia *Richardus* Primus Scoto restituit. Postea *Ioannes* Rex (ut est in historia *Melrossensi*) *villam* & *castellum* de *Berwick* cepit, cum *Verk*, *Roxburgh*, *Mitford*, & *Morpath* incendit, *Northumbriam*que totam pervastavit cum suis *Rutariis*, quia *Barones* *Northumbria* homagium *Alexandro* Scotorum Regi apud *Feltun* prestitissent. Multis post annis cum *Ioannes* *Balliolus* Rex Scotorum iurandum violasset, *Edwardus* Primus *Berwicum*, anno humanæ salutis *CIOCCXCVII*, in suam potestatem redegit, brevi tamen cum *Mars* Scotis aridere cœpit, desertum occuparunt illi; statimque per deditionem nostri receperunt. Postea in soluto illo *Edwardi* Secundi regno, *Roberto* *Brus* Scotorum regi acriter oppugnanti *Petrus* *Spalding* tradidit, nostrique frustra obfederunt, donec  *Hector* ille noster *Edwardus* Tertius anno Christi *CIOCCXXIII* fortiter adortus, feliciter potitus sit. Regnante tamen *Richardo* Secundo abactores quidam Scotici ex improvviso castellum ceperunt; sed ante novem dies *Henricus* *Percius* *Northumbria* Comes recuperavit. Vix septimus agebatur annus, cum *Scoti* iterum non viribus, sed pecunia expugnarent, qua de causa *Henricus* ille *Percius*, qui loci præfectus erat, in læsæ majestatis crimen vocatus, verum ille Scotorum fidem & fortitudinem itidem pecunia labefactavit, statimque recepit. Satis longo post tempore cum intestino bello *Anglia* pluiquam intabesceret, *Henricus* Sextus jam in *Scotia* profugus, Scoto, ut sibi securitatem in *Scotia* præstaret, in manus tradidit. Sed post annum vicefimum secundum *Thomas* *Stanlejus* non sine suorum cæde in *Edwardi* Quarti potestatem reduxit. Ex quo tempore *Angliæ* reges operibus subinde firmarunt & communierunt, maxime vero *Regina* *Elizabetha*, quæ nuper hostium terrori, civiumque præsidio, altrictiore ambitu intra vetera mœnia,

excelsa muro firmissimo lapidum connexu compacto circumclusit, quem rursus fossa profunda, continuo aggere, aggestitiis molibus, & hypethræis ita præmunivit, ut oppugnantibus omnem spem munitioformis, vel firmitas facile præcidat. Ut interim præsidarii militis virtutem, & bellicum apparatus omnium opinione majorem prætermittam. Qui huic oppido cum autoritate præfuit (ut hoc etiam adnotem) semper aliquis erat ex prudentissimis & spectatissimis *Angliæ* proceribus, simulque *Orientali* huic ad *Scotiam* limiti præfectus. Longitudine part. *XXI*, scrupulis *XLIII*, Latitudine *LV*, grad. *XLVIII*, scrup. definitur, uti observarunt *Mathematici*. Unde hac cœli inclinatione dies longissimus sit horarum *XVII*, scrup. *XXII*, & nox tantum *VI* horarum, scrup. *XXXVIII*, ut non falso ille *Servius* *Honoratus* scripserit, *Britannia* lucis dies vix quoddam spatium concedit noctibus, nec mirum, si milites nullo adhibito lumine tota nocte alea hic ludant, si noctium consideres, & *Iuvenalis* dixerit minima contentos nocte *Britannos*.

De *Berwico* in corollarium habe jam *I. Ionstoni* versus,

Scotorum extremo sub limite, meta furoris  
Saxonidum: gentis par utriusque labor.  
Mille vices rerum, qua mille est passa ruinas,  
Mirum, qui potuit tot superesse malis!  
Quin superest, quin extremis exhausta ruinis,  
Funere sic crevit firmior usque suo:  
Oppida ut exæquet jam munitissima. Civis  
Militis & censum, & munia Martis obit.  
Postquam servitio durisque est functa periculis,  
Effert lætitiæ signa serena sua:  
Et nunc antiquo felix se jactat honore,  
Cum reddidit Domino debita jura suo:  
Cujus ab auspiciis unita Britannia tandem  
Excelsum tollit libera in astra caput.

Quod de limitaneis qui circumhabitant quondam prodidit in vita sua à se descripta, & alterius nomine edita *Aeneas* *Sylvius* sive *P.P. Pius* Secundus, qui in *Scotiam* legatus erat circa annum *CIOCCCLVII*, juvat apponere cum necdum degeneraverint.

\* *Fluvius* est, qui ex alto monte diffusus utramque terram determinat: hunc cum navigio transisset *Aeneas*, atque in villam magnam circa solis Occasum declinasset, in domum rusticam descendit, atque ibi cœnam cum sacerdote loci & hospite fecit. Multa ibi pulmentaria, & gallinae, & anseres afferebantur in esum, sed neque vini, neque panis quicquam aderat, & omnes tum scemina virique ville, quasi ad rem novam accurrerant; atque ut nostri vel *Ethiopes* vel *Indos* mirari solent, sic *Aeneas* stupentes intuebantur, quærentes ex sacerdote cujus esset, quidnam facturum venisset, *Christianamne* fidem sciperet. Edoctus autem *Aeneas* itineris defectum, apud monasterium quoddam panes aliquot & vini rubei metretam receperat, quibus expositis major admiratio illos tenuit, qui neque vinum, neque panem album viderant. Appropinquabant autem mense prægnantes scemina, earumque viri atrectantes panem & vinum odorantes portionem petebant, inter quos totum erogare necesse fuit. Cumque in secundam noctis horam cœna protraheretur, sacerdotes & hospes

Britannia  
lucis di-  
ves.

Commen-  
tarii Pii  
Secundi  
Ioan. Ge-  
bellini no-  
mine edi-  
ti.  
\* *Tweda*.

Limita-  
ncorum  
mores.